

IUS MATRIMONIALE LATINUM ET ORIENTALE

Collatio Codicem latinum inter et orientalem

SUMMARIUM: 1. Sedes materiae et structura tractatus. 2. Canones introductorii. 3. Systema impedimentorum. 4. De consensu matrimoniali. 5. De forma celebrationis matrimonii et de matrimoniis mixtis. 6. De matrimonio secreto celebrando; De matrimonii effectibus; De separatione coniugum; De matrimonii convalidatione. 7. Observationes generales conclusivae. a) Matrimoniale foedus, quo... b) Minister sacramenti matrimonii.

In hac relatione¹ intendo collationem instituere *Codicem Iuris Canonici Ecclesiae Latinae* inter et *Codicem Canonum Ecclesiarum Orientalium*, quod attinet ad ius substantivum matrimoniale.

Procedam autem hac methodo: Factis aliquibus observationibus generalibus, sequar ordinem capitum Codicis Latini notando differentias quae notatu dignae sunt sive quoad doctrinam sive quoad ius, omissis quae tantum formam litterariam vel ordinem systematicum respiciunt. Dein synthesim generalem praebebo necnon aliqua maioris significationis notabo, quo clarius pateat in quibus Codices Latinus et Orientalis inter se concordent in quibus vero discrepent.

Advertat lector: Cum uterque Codex atque canones utriusque Codicis saepissime in hac relatione citandi sint, brevitatis gratia, ad indicandum Codicem Ecclesiae Latinae adhibebo siglam CIC, ad significan-

¹ Relatio in Colloquio Brixienti, mense Iunio 1991.

dum vero Codicem Canonum Ecclesiarum Orientalium, siglam CC. Canonibus Codicis Latini praepone-
tur littera L; canonibus vero Codicis Orientalis littera O.

1. Sedes materiae et structura tractatus utriusque Codicis

Uti notum est, CIC divisus est in libros; libri autem possunt dividi in partes; partes vero iterum dividi possunt in sectiones: sectiones in titulos; tituli in capita; capita in articulos. Itaque materia de Matrimonio invenitur in libro IV *De Ecclesiae munere sanctificandi*, Parte I, *De Sacramentis*, titulo VII, *De Matrimonio*. CC autem non est divisus in libros, neque in partes, neque in sectiones. Divisio princeps est in titulos; tituli autem possunt dividi in capita; capita vero in articulos. Si quae divisiones posteriores sunt, indicantur solis numeris, absque qualificatione divisionis. Itaque materia De Matrimonio invenitur in Titulo XVI *De cultu divino et praesertim de Sacramentis*, capite VII, *De Matrimonio*.

His indicatis, quo structura tractatus in utroque Codice clarius pateat, oportet ut indicem generalem utriusque Codicis de Matrimonio ob oculos habeamus.

CODEX IURIS CANONICI

Titulus VII - DE MATRIMONIO ..	1055-1165
Caput I - <i>De cura pastoralis et de iis quae matri-</i> <i>monii celebrationi praemitti de-</i> <i>bent</i> ..	1063-1072
Caput II - <i>De impedimentis dirimentibus in ge-</i> <i>nere</i>	1073-1082

Caput III	- <i>De impedimentis dirimentibus in specie</i>	1083-1094
Caput IV	- <i>De consensu matrimoniali</i>	1095-1107
Caput V	- <i>De forma celebrationis matrimonii</i> ..	1108-1123
Caput VI	- <i>De matrimoniis mixtis</i>	1124-1129
Caput VII	- <i>De matrimonio secreto celebrando</i> ..	1130-1133
Caput VIII	- <i>De matrimonii effectibus</i>	1134-1140
Caput IX	- <i>De separatione coniugum</i>	1141-1150
Art. 1	- <i>De dissolutione vinculi</i>	1141-1150
Art. 2	- <i>De separatione manente vinculo</i>	1151-1155
Caput X	- <i>De matrimonii convalidatione</i>	1156-1165
Art. 1	- <i>De convalidatione simpliciter</i>	1165-1160
Art. 2	- <i>De sanatione in radice</i>	1161-1165

CODEX CANONUM ECCLESiarUM ORIENTALIUM

Caput VII	<i>De matrimonio</i>	776-866
Art. I	De cura pastoralis et de eis, quae matrimonii celebrationi praemitti debent	783-789
Art. II	De impedimentis dirimentibus in ge- nere	790-799
Art. III	De impedimentis in specie	800-812
Art. IV	De matrimoniis mixtis	813-816
Art. V	De consensu matrimoniali	817-827
Art. VI	De forma celebrationis matrimonii ..	828-842
Art. VII	De matrimonii convalidatione	843-852
1°	De convalidatione simpliciter	843-847
2°	De sanatione in radice	848-852
Art. VIII	De separatione coniugum	853-866
1°	De dissolutione vinculi	853-862
2°	De separatione manente vinculo	863-866

Notamus sequentia: Canones numerantur in CIC 110; in CC tantum 90. Structura fundamentalis totius tractatus est fere eadem. In CC desunt articuli correspondentes capitibus VII, *De matrimonio secreto celebrando*, et VIII, *De matrimonii effectibus*. In CIC caput VI, *De matrimoniis mixtis* collocatur post caput V, *De*

forma celebrationis matrimonii, dum in CC art. IV *De matrimoniis mixtis* ponitur post art. III, *De impedi-
mentis in specie*. Denique mutatur ordo duorum ultimi-
morum capitum: in CIC praecedit materia *De separa-
tione coniugum* (cap. IX), et sequitur materia *De
matrimonii convalidatione* (cap. X), dum in CC prae-
cedit art. VII *De matrimonii convalidatione* et sequi-
tur art. VIII *De separatione coniugum*. Rubricae
capitum vel articulorum sunt eadem in utroque
Codice.

2. Canones introductorii (L1055-1062; O776-782)

In utroque Codice praeponuntur aliqui canones
qui principia doctrinalia et iuridica maioris significa-
tionis colligunt quae totum tractatum transcendunt.
Ut plurimum huiusmodi principia sunt eadem in
utroque Codice. Attamen animadvertuntur differen-
tiae quae tendentias theologicas aut iuridicas sat
diversas innuunt.

In CIC ponuntur sequentia: Definitio matrimonii
eiusque elevatio ad dignitatem sacramenti (1055 § 1);
principium inseparabilitatis contractum inter et sacra-
mentum (§ 2); proprietates essentielles (1156); par-
tium consensus facit matrimonium (1057 § 1); defini-
tio consensus (ib. § 2); ius nubendi (1058); ius quo
regitur matrimonium catholicorum (1059); favor ma-
trimonii (1060); aliquae definitiones technicae (1061);
sponsalia (1062).

In CC nec omnia nec iisdem verbis nec eodem
ordine ponuntur ac in CIC: Definitio matrimonii (776
§ 1); principium inseparabilitatis et effectus sacramen-
ti (ib. § 2); proprietates essentielles (ib. § 3); aequalia
iura et officia inter coniuges (777); ius nubendi (778);
favor matrimonii (779); ius quo regitur matrimonium

catholicorum (780) et acatholicorum (781); sponsalia (781).

Statim patent praecipuae differentiae: Praeter diversum ordinem quo materia disponitur, animadvertitur in CC non poni principium de consensu causa matrimonii et de obiecto consensus (L1057) neque definitiones technicas (L1061); poni e contra principium aequalitatis coniugum quod attinet consortium vitae coniugalis (O777).

De principio «matrimonium facit partium consensus» (L1057 § 1) nullum vestigium invenitur in CC. Definitio autem consensus et quidem iisdem verbis ac in L1057 § 2 invenitur initio articuli de consensu (O817 § 1), ubi enuntiatur etiam principium iuxta quod consensus nulla humana potestate suppleri potest (ib. § 2). Principium aequalitatis inter coniuges in CIC invenitur in cap. IX *De matrimonii effectibus* (L1135), quod caput non habet articulum correspondentem in CC, uti vidimus.

Factis his observationis generalibus, aliquid dicendum videtur de duobus canonibus ubi notabilis differentia animadvertitur inter utrumque Codicem, scilicet L1055 et L1059.

Canon L1055 § 1 continet et definitionem matrimonii et enuntiationem principii elevationis ad dignitatem sacramenti, in textu reapse onusto:

«Matrimoniale foedus, quo vir et mulier inter se totius vitae consortium constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum, a Christo Domino ad sacramenti dignitatem inter baptizatos evectum est».

CC autem in O776 § 1 exhibet tantummodo definitionem matrimonii, nulla allusione facta ad sacramentum, quo obtinetur textus magis agilis:

«*Matrimoniale foedus a Creatore conditum eiusque legibus instructum, quo vir et mulier, irrevocabili consensu personali, totius vitae consortium inter se constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum atque ad filiorum generationem et educationem ordinatur*».

Definitiones matrimonii utriusque Codicis coincidunt quoad substantiam: Matrimonium in fieri exhibetur uti «matrimoniale foedus, quo...»; matrimonium vero in facto esse praesentatur in utroque Codice, verbis inspiratis in definitione romana, uti «totius vitae consortium» ad bonum coniugum atque ad prolis generationem et educationem ordinatum. In CC vero post verba initialia «matrimoniale foedus» adduntur verba «a Creatore conditum eiusque legibus instructum» desumpta ex constitutione *Gaudium et spes*, ubi certo referuntur ad matrimonium in facto esse: «*intima communitas vitae et amoris coniugalís, a Deo condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur*» (n. 48), dum in canone eadem verba applicantur matrimonio in fieri, uti patet, quod quidem minus probandum videtur. Item verba «irrevocabili consensu personali» in Concilio adduntur uti mera explicatio iuxta posita per particulam «seu», termini «foedere coniugii», dum in canone haec aequipollentia inter terminum «foedus coniugii», et terminum «irrevocabilis consensus personalis» aliquo modo videtur obscurari ac si «irrevocabilis consensus personalis» esset quid diversum et superadditum substantivo «matrimoniale foedus, quo...».

Quod attinet autem ad § 2 can. L1055 animadvertuntur etiam graves differentiae inter utrumque Codicem: CIC enuntiat simpliciter principium inseparabilitatis: «*Quare inter baptizatos nequit matrimonialis*

contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum». In CC autem textus magis dives apparet:

«*Ex Christi institutione matrimonium validum inter baptizatos eo ipso est sacramentum quo coniuges ad imaginem indefectibilis unionis Christi cum Ecclesia a Deo uniuntur gratiaque sacramentali veluti consecrantur ac roborantur*» (O770 § 2).

In CIC principium inseparabilitatis enuntiatur fortiter forma negativa: «*Inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere quin sit eo ipso sacramentum*»; in CC e contra in forma affirmativa «*matrimonium validum inter baptizatos eo ipso est sacramentum*», et quidem explicite indicatur hoc esse «*ex Christi institutione*», id quod, uti patet, in CIC subintelligitur. Dein indicantur duo effectus sacramenti:

1) «*quo coniuges ad imaginem indefectibilis unionis Christi et Ecclesiae a Deo uniuntur*». Possit quis quaerere utrum actio Dei in sacramento matrimonii sit diversa ac in aliis sacramentis, uti videtur in textu insinuari, evocando verba Domini «*quod Deus coniunxit, homo non separet*». Reapse verba Domini non possunt sumi sensu causalitatis efficientis ac si Deus ageret causaliter modo diverso ac agit quoad alias causas secundas. Scimus utique in Sacramentis omnibus Deum actuare opus sanctificationis modo peculiari, per Christum summum et aeternum sacerdotem, qui semper est «sacerdos princeps» in omni actione sacramentali.

At non apparet ratio ulla theologica ad hoc ut in sacramento matrimonii tribuatur Deo activitas efficiens indolis diversae ac in aliis sacramentis. Ideo illa locutio «a Deo uniuntur» tali modo intelligenda est ut nihil minuat causalitati efficienti illius «Matrimonialis

foederis» seu «irrevocabilis consensus personalis», quo vir et mulier constituuntur maritus et uxor, atque, si sunt baptizati, perficiunt foedus quod est eo ipso sacramentum.

Alius effectus indicatur: 2) «*gratiaque sacramentali veluti consecrantur et roborantur*». Haec verba inspirata sunt in Const. *Gaudium et spes*: «*Quapropter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur ac veluti consecrantur*», quae iterum desumpta sunt ex duobus locis Enc. *Casti Connubii*². Attamen notandum est in Concilio atque in Enc. *Casti Connubii* particulam mitigativam «veluti» afficere tantummodo verbum «consecrantur», non vero verbum «roborantur». Praeterea in utroque documento coniuges «roborantur ac veluti consecrantur *peculiari sacramento*»; in canone autem dicitur «gratia sacramentali», quod non est prorsus idem.

Denique in CC collocatur ut § 3 eiusdem canonis 776, canon L1057 de proprietatibus essentialibus, quod quidem probandum videtur, quia hoc modo uno canone comprehenduntur omnia quae in Codice explicite matrimonium-sacramentum spectant.

Quod attinet canonem L1059 de iure quo regitur matrimonium, magna intercedit differentia inter utrumque Codicem.

In CIC indicatur tantummodo ius quo regitur *matrimonium catholicorum*:

«*Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus*» (L1059).

² GS 48,2. *Casti Connubii* in AAS 22 (1930) 583.

Posito principio doctrinali iuxta quod matrimonium-sacramentum, quod attinet ad vinculum et ad ea quae cum vinculo sunt essentialiter connexa cadit sub exclusiva competentia Ecclesiae, in iure actuali Ecclesiae Latinae, suppresso principio quod enuntiabatur in can. 1116 Codicis 1917, non habetur criterium iuxta quod constet cum certitudine quo iure regantur matrimonia non catholicorum baptizatorum, qui ad Ecclesiam Latinam seu occidentalem pertinent. Speramus fore ut quam primum aliquo modo provideatur, ita ut compleatur lacuna et obtineatur certitudo in iure, circa rem maximae gravitatis.

CC ample providet ad rem: In O780 providet de iure quo regitur matrimonium duorum catholicorum vel unius catholici et alterius acatholici baptizati; dum in O781 normas statuit pro matrimoniis duorum acatholicorum baptizatorum.

780 § 1 *Matrimonium catholicorum, etsi una pars tantum est catholica, regitur iure non solum divino sed etiam canonico, salva competentia auctoritatis civilis circa effectus mere civiles matrimonii.*

§ 2 *Matrimonium inter partem catholicam et partem baptizatam acatholicam regitur etiam:*

1° *iure proprio Ecclesiae vel Communitatis ecclesialis ad quam pars acatholica pertinet, si haec Communitas ius matrimoniale proprium habet;*

2° *iure, quo pars acatholica tenetur, si Communitas ecclesialis ad quam pertinet, iure matrimoniali proprio caret.*

Canon uti patet imbutus est spiritu oecumenico, at dare potest ansam conflictibus forse insolubilibus, si v.gr. ius partis catholicae et ius partis acatholicae continent normas inter se incomponibiles. Nulla difficultas gravis invenietur circa habilitatem personarum, quia utraque iuxta proprium ius habilis debet esse, sed utique circa alia.

Tunc providetur de casu matrimonii duorum acatholicorum baptizatorum; quod quidem tali modo fit ut non possint offendi fratres separati:

781 Si quando Ecclesia iudicare debet de validitate matrimonii acatholicorum baptizatorum:

1º quod attinet ad ius quo partes tempore celebrationis matrimonii tenebantur, servetur can. 780 § 2;

2º quod attinet ad formam celebrationis matrimonii, Ecclesia agnoscit quamlibet formam iure praescriptam vel admissam, cui partes tempore celebrationis matrimonii subiectae erant, dummodo consensus expressus sit forma publica et, si una saltem pars est christifidelis alicuius Ecclesiae orientalis acatholicae, matrimonium ritu sacro celebratum sit».

De matrimonio infidelium nihil dicitur, cum sit obvium id regi iure civili, dummodo non sit contrarium iuri divino. Canon agit tantummodo de matrimonio baptizatorum acatholicorum, quod quidem cum sit sacramentum sub potestate exclusiva est unius Ecclesiae Christi. Papa modo indirecto quidem at efficaci vim tribuit legis ecclesiasticae, si opus fuerit, illis legibus de quibus in canone. Patet enim regulas quas dat ad iudicandum de invaliditate horum matrimonium, respondere debere iuri substantivo, quo reguntur talia matrimonia, quodque ab Ecclesia accipit formaliter suam vim suamque efficaciam.

Ad complendam lacunam quae existit in CIC hanc circa materiam sufficeret ut auctoritative hi canones CC extenderentur etiam ad Ecclesiam latinam, quo obtineretur etiam unitas in re magni ponderis maximaeque complexitatis.

Quod spectat canonem L1062 de sponsalibus, notandum tantummodo in CC commendari institutum sponsalium ac regi iure proprio Ecclesiae suae iuris (O782), dum in CIC regitur iure quod statutum fuerit a Conferentia Episcoporum.

3. Systema impedimentorum (L1073-1094; O790-812)

Quod attinet caput *De cura pastoralis et de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent* (L1063-1072; O783-789) nihil invenio notatu dignum quoad differentiam inter utrumque Codicem. Differentiae stylisticae sunt plures at non videntur tangere ius substantivum. Noto tantummodo differentiam quae habetur circa casus in quibus assistens matrimonio indiget licentia Ordinarii loci (vel Hierarchae loci). In L1071 § 1, 5^o dicitur: «*matrimonio eius qui censura innodatus est*», dum in O789, 5^o, adhibetur locutio magis generalis: «*matrimonium eius, qui sententia ecclesiastica vetatur transire ad novum matrimonium, nisi quasdam condiciones implet*». Hac dictione comprehenduntur casus «vetiti» impositi a tribunalibus ecclesiasticis transeundi ad novas nuptias.

Ideo transimus ad agendum de impedimentis, ubi, ut plurimum, coincidunt etiam CIC et CC, etsi nonnullae animadvertantur differentiae quae efferantur oportet.

In capite (vel articulo) *De impedimentis dirimentibus in genere* (L1073-1082; O790-799), notamus quae sequuntur: Quoad potestatem statuendi nova impedimenta dirimentia, in CIC nulla auctoritas Apostolicae Sedi inferior potestate gaudet impedimenta statuendi. Propositio quae in primo Schemate inveniebatur iuxta quam concedebatur Conferentiis Episcoporum haec facultas, postea deleta est. In CC, e contra, possunt statui impedimenta dirimentia iure particulari Ecclesiae sui iuris; at non nisi «*gravissima de causa, collatis consiliis cum Episcopis eparchialibus aliarum Ecclesiarum sui iuris, quorum interest, et consulta Sede Apostolica*» (O792).

Sicut in CIC Ordinarius loci potest, intra certos

limites, vetare matrimonium in casu particulari (L1077), ita etiam in CC Hierarcha loci (O794). At dum in CIC sola Sancta Sedes potest clausulam irritantem addere, in CC id potest Patriarcha *«si de Hierarcha loci agitur, qui intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis potestatem suam exercet»*.

Quod attinet ad facultatem dispensandi ab impedimentis, in utroque Codice manent reservata eadem impedimenta (L1078 § 2; O795 § 1); at in CC additur haec § 2:

«Dispensatio ab his impedimentis reservatur Sedi Apostolicae; Patriarcha vero dispensare potest ab impedimentis coniugicii et voti publici perpetui castitatis in congregationibus cuiusvis condicionis iuridicae emissi».

Quod spectat facultates dispensandi in periculo mortis atque in sic dicto casu perplexo necnon de concessae dispensationis adnotatione, eadem normae vigent in utroque Codice (L1079-1082; O796-799). Noto tantum diaconum, cum in CC non possit delegari ad assistendum matrimonio, non posse habere dispensandi facultates de quibus in his canonibus.

Quoad caput (vel articulum) *De impedimentis in specie* (L1083-1094; O800-812) habentur tantummodo sequentes differentiae substantivae: In CIC impedimentum disparitatis cultus viget *«inter duas personas, quarum altera sit baptizata in Ecclesia catholica vel in eandem recepta nec actu formali ab ea defecerit, et altera non baptizata»* (L1086 § 1); in CC autem dicitur simpliciter *«Matrimonium cum non baptizatis valide celebrari non potest»* (O803 § 1). Patet itaque impedimentum disparitatis cultus maiorem amplitudinem habere in CC quam in CIC.

In impedimento affinitatis, dum in CIC impedimentum viget tantum in quolibet gradu lineae rectae

(L1092), in CC hoc impedimentum dirimit matrimonium «*in quolibet gradu lineae rectae et in secundo gradu lineae collateralis*» (O809 § 1).

Quoad impedimentum publicae honestatis, CC solvit difficultatem quae ex successivis redactionibus canonis, attenta haesitatione circa notionem «matrimonii invalidi», remansit in CIC relate ad matrimonium sic dictum civile. Ex una enim parte, matrimonium civile eorum qui ad formam canonicam tenentur non est «matrimonium invalidum» sensu canonico (cfr. can. L1061 § 3, attenta etiam eius historia), ex alia vero parte, haec unio inter virum et mulierem non potest qualificari uti «concubinatus». Ergo conviventia post matrimonium civile celebratum videretur non dare originem impedimento publicae honestatis. Dicit enim canon:

«Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido post instauratam vitam communem aut ex notorio et publico concubinato; et nuptias dirimit in primo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac viceversa» (L1093).

In CC impedimentum habet eandem amplitudinem quoad gradus et lineas. At redactio est magis clara et praeterea solvit difficultatem indicatam:

«Impedimentum publicae honestatis oritur: 1° ex matrimonio invalido post instauratam vitam coniugalem; 2° ex notorio et publico concubinato; 3° ex instauratione vitae communis eorum, qui ad formam celebrationis matrimonii iure praescriptam adstricti matrimonium attentaverunt coram officiali civili aut ministro acatholico» (O810 § 1).

In CIC abolitum est impedimentum cognitionis spiritualis ex baptismo ortae; in CC autem conservatur: «*Ex baptismo oritur inter patrinum et baptizatum*

eiusque parentes cognatio spiritualis, quae matrimonium dirimit» (O808 § 1).

4. De consensu matrimoniali (L1095-1107; O817-827)

In capite (vel articulo) de consensu matrimoniali paucae prorsus sunt differentiae inter utrumque Codicem. Noto quae aliquam significationem iuridicam habent.

In CC conservatur, uti primus capitis, canon de definitione obiecti consensus (O817) qui in CIC translatus est ad canones introductorios (L1057). At in CC omittitur prima paragraphus ubi affirmatur consensum inter personas iure habiles legitime manifestatum facere matrimonium. Et ponitur prima paragraphus illa quae in can. L1057 est secunda: «*Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere irrevocabili se mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium*» (O817 § 1). Uti paragraphus secunda ponitur idea ultimae phrasidis § 1 can. L1057: «*Consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri potest*» (O817 § 2).

Habent eandem fere redactionem in utroque Codice canones de incapacitatibus ad matrimonium contrahendum (L1095; O818), de scientia minima necessaria ad praestandum consensum (L1096; O819), de errore circa personam et circa qualitates (L1097; O820), de errore doloso (L1098; O821), de errore circa proprietates essentielles (L1099; O822), de influxu scientiae circa nullitatem (L1100; O823), de simulatione (L1101; O824), de vi et metu (L1103; O825).

Quoad matrimonium condicionatum, semper fuit valde diversa disciplina latina ac orientalis. Haec diversitas, non obstante profunda innovatione inducta

in disciplinam latinam, conservatur in novis Codicibus: CC refert textum MP «*Crebrae Allatae*», can. 83, addito adverbio «valide» ad auferendas haesitationes circa eius sensum: «*Matrimonium sub condicione valide celebrari non potest*» (O826). CIC autem sublata possibilitate contrahendi sub condicione de futuro: «*Matrimonium sub condicione de futuro valide contrahi nequit*», admittit possibilitatem contrahendi sub condicione de praeterito vel de praesenti (L1102).

Canon quo statuitur necessitas ut contrahentes sint praesentes (L1104) et canon de matrimonio per procuratorem (L1105), in CC collocantur et recte quidem in articulo *De forma celebrationis matrimonii*, in uno tantum canone (O837), omisso canone de matrimonio per interpretem (L1106). Negari non potest in CIC canones L1104-1106 non esse recte collocatos sub capite *De consensu*.

5. De forma celebrationis matrimonii (L1108-1123; O828-842) et de matrimoniis mixtis (L1124-1129-O813-816)

Quod spectat caput (vel articulum) de forma celebrationis matrimonii, possumus notare sequentes differentias substantivas:

Quoad essentiam formae canonicae conservatur differentia quae iam sanciebatur in MP «*Crebrae allatae*», can. 85, scilicet quod in CC requiritur «ritus sacer» ut elementum essentiale, id quod non requiritur in CIC. Alia differentia consistit in eo quod in CC diaconus non potest delegari ad benedicendum matrimonium, dum in CIC diaconus immo et, positus ponendis, laicus potest delegari ad assistendum matrimonio (O828; L1108; 1112), non ita in CC.

In utroque Codice servatur principium territoria-

litatis, et quidem sensu stricto seu sine exceptione, quod attinet competentiam Ordinarii loci (Hierarchae loci) et parochi, «*dummodo eorum alteruter sit ritus latini*» (L1109) vel «*dummodo alterutra saltem pars sit adscripta propriae Ecclesiae sui iuris*» (O829 § 1). Patriarcha autem «*ipso iure facultate praeditus est servatis aliis de iure servandis matrimonia per se ipsum benedicendi ubique terrarum, dummodo alterutra saltem pars adscripta sit Ecclesiae, cui praeest*» (O829 § 3).

Iuxta CIC «*Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem...*», in CC «*Matrimonium coram sponsi paroco celebretur, nisi ius particulare aliud fert vel iusta causa excusat*» (O831, § 2, 3°).

Institutum formae extraordinariae iisdem prorsus elementis configuratur in utroque Codice. Cum in CC diaconus delegari non possit ad benedicendum matrimonium, congruenter nulla obligatio habetur eum vocandi etiamsi praesto sit in casu formae extraordinariae. E contra potest vocari sacerdos acatholicus (O832 § 2). In CIC nulla obligatio remanet post celebratum matrimonium accedendi ad ritum aliquem liturgicum perficiendum. In CC autem «*Si matrimonium celebratum est coram solis testibus, coniuges a sacerdote quam primum benedictionem matrimonii suscipere ne negligent*» (O832 § 3).

Quod refert ad subiectum formae canonicae notabile discrimen habetur inter utrumque Codicem: Iuxta CIC non tenentur formae canonicae qui baptizati in Ecclesia catholica vel in eadem recepti postea «*actu formali ab ea defecerit*» (L1117), dum huiusmodi defectio ab Ecclesia in CC non liberat ab obligatione formae canonicae (834 § 1).

Quod attinet dispensationem a forma, in CIC

praevideatur possibilitas tantummodo, positis ponendis, quoad matrimonia mixta (L1127 § 2); in CC statuitur principium generale: «*Dispensatio a forma canonica celebrationis matrimonii iure praescripta reservatur Sedae Apostolicae vel Patriarchae, qui eam ne concedat nisi gravissima de causa*» (O835).

In CIC expresse agnoscitur: «*Episcoporum Conferentia exarare potest ritum proprium matrimonii, a Sancta Sede recognoscendum...*» (L1120). De tali possibilitate statuendi ritus liturgicos iure particulari non habetur vestigium in CC.

De praescriptis circa locum et circa annotationem non habentur discrimina notatu digna.

Quod spectat matrimonia mixta, differentiae inter utrumque Codicem non tangunt ius substantivum, sed tantummodo redactionem stylisticam vel ordinem systematicum materiae. Caput (vel articulus) *De matrimoniis mixtis* dum in CIC collocatur post caput *De forma celebrationis matrimonii*, in CC ponitur post articulum *De impedimentis in specie*. In CC in hoc articulo continentur tantum quattuor canones, dum CIC in hoc capite continentur sex canones. Etenim materia relativa canoni L1127 in CC distributa est diversis canonibus articuli *De forma celebrationis matrimonii*, scilicet O834 § 2; O845; O839. Quod vero in L1129 praescribitur satis continetur in O803 § 3, quando agitur de impedimento disparitatis cultus.

6. De Matrimonio secreto celebrando (L1130-1133); De matrimonii effectibus (L1134-1140); De separatione coniugum (L1131-1155; O853-866); De Matrimonii convalidatione (L1156-1165: O843-852)

Claritatis gratia indicanda putavi omnia capita CIC, etsi de his quattuor fere nihil sit dicendum.

Caput (articulus) *De matrimonio secreto celebrando*, non habetur in CC. Materia tamen quae in CIC quattuor canonibus continetur (L1130-1133), in CC collocatur in articulo *De forma celebrationis matrimonii*, sub tribus paragraphis unius canonis (O840), quod quidem probandum mihi videtur. Deest etiam in CC articulus *De matrimonii effectibus*. Si excipias canonem de aequalitate utriusque coniugis ad ea quae pertinent ad consortium vitae coniugalis (L1135), qui in CC translatus est ad canones introductorios (O777), necnon aliquos conceptus de matrimonio-sacramento qui in CIC indicantur in hoc capite (L1134) dum in CC colliguntur in § 2 primi canonis introductorii (O776), alii canones CIC prorsus omituntur in CC. Agitur enim de canonibus L1137-1140 in quibus institutum legitimitatis filiorum configuratur. De hoc instituto in CC ne verbum quidem fit. Certum est in CIC actuali factum quod filii sint legitimi vel illegitimi vel legitimati nullum effectum canonicum producit. Attamen in CIC conservatur institutum cum eius normis fundamentalibus, etsi in formam maxime simplicem reductis. Et meo iudicio, iure meritoque. Cum enim matrimonium sit locus privilegiatus et unicus, sub respectu ethico et humano, in quo filii generentur et educantur, videtur Codicem iuris canonici non posse non aliquo modo ad institutum legitimitatis aliquam attentionem praestare. CC autem aliter processit hac super re, non obstante eius tendentia ad magis efferendos valores spirituales matrimonii et familiae, quam quod facit CIC.

In capitibus (articulis) *De separatione coniugum* atque *De convalidatione matrimonii*, nullam differentiam inveni quoad ius substantivum. Statim apparet mutatio ordinis capitum; in CIC praecedat caput de

separatione coniugum, dum in CC praecedit articulus de convalidatione matrimonii. Ceterum sive quoad divisionem internam in duas partes (articulos in CIC; sine specificatione in CC), sive quoad contentum et ordinem canonum, si paucos omnino excipias, omnia sunt prorsus eadem in utroque Codice. Etiam in redactione litteraria animadvertitur minor tendentia ad mutandum textum CIC quam in capitibus (articulis) praecedentibus.

7. Observationes generales conclusivae

Ut patet, Commissiones revisionis, in CC immediate prae oculis habebant ius matrimoniale contentum in MP PII XII *Crebrae allatae*, diei 12 februarii 1949; in CIC autem ius contentum in Codice 1917. At notandum est MP *Crebrae allatae* secutum esse fere pediseque Codicem 1917, sive quoad structuram totius tractatus, sive etiam quoad normas, quae, ut plurimum, referunt litteraliter eas Codicis latini.

Iam ex hoc facto historico suspicari licet non posse dari magnas differentias inter utrumque Codicem in provincia matrimoniali. Utique habentur nonnullae mutationes quoad ordinem quo disponuntur canones vel capita (articuli), quae ut plurimum laudandae sunt, cum perficiant ea quae debuissent perfici et perpoliri in CIC. Placent inter alia quod canones L1104-1105 de necessitate praesentiae et de matrimonio per procuratorem sublatis ex capite de consensu translatis sunt ad caput (articulum) de forma celebrationis matrimonii (O837) atque etiam quod omissus est canon L1106 de matrimonio per interpretem, utpote superfluum; item quod suppressum sit caput de matrimonio secreto celebrando, cuius materia in brevior formam redacta, etiam ad caput (articulum)

de forma celebrationis matrimonii, translata est (O840). Minus clara apparet opportunitas suppressionis capitis de matrimonii effectibus, cum nihil dicatur in CC, in capite de matrimonio, de obligationibus parentum erga filios nec de instituto filiationis legitimae.

Quod autem filii sint legitimi, etsi huic facto non adnectantur effectus canonici, sub respectu ethico et spirituali, est res magni momenti. Ideoque aliquo modo in Codice iuris matrimonialis Ecclesiae hoc appareat oportet.

Huc spectat etiam differentia quoad numerum canonum, scilicet in CC numerantur 20 minus quam in CIC. At canones ex integro suppressi in CC sunt multo pauciores. Maxima ex parte hi canones reasumpti sunt in aliis canonibus³:

Canones CIC omissi simpliciter in CC sunt circiter 12⁴.

Ex alia parte, in CC inveniuntur canones qui non inveniuntur in CIC⁵.

Habentur praeterea notabiles differentiae stylisticae. Imprimis quod attinet linguam latinam: Scitur decum esse in textu CC semper adhibendum esse indicativum numquam vero subiunctivum in orationibus condicionalibus et similibus; quod minus probandum videtur, quia linguae habent propriam indolem quae semper servanda est.

Sit exemplo can. L1083 § 2: «*Quamvis prius*

³ L1056 = O783 § 3; L1065 = O783 § 2; L1066 = O785 § 1; L1068 = O785 § 2; L1105 = O837 § 2; L1110 = O829 § 2; L1114 = O831 § 2; L1122 = O841 § 2; L1127 = O834, O839; L1130 = O803 § 3; L1130-1133 = O840; L1134 = O776 § 2.

⁴ L1061; 1072; 1106; 1112; 1113; 1120; 1136-1140; 1151.

⁵ Tales sunt: O781; 792; 811; 833; 835.

matrimonium sit irritum aut solum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit». In CC dicitur: «*Etsi prius matrimonium invalidum aut solum est qualibet ex causa, non licet aliud matrimonium celebrare, antequam de prioris invaliditate aut solutione legitime et certo constat*» (O802 § 2).

Praeter usum indicativi in verbis «esse» et «constare», notamus mutationes: pro «irritum» dicitur «invalidum», pro «nullitate» dicitur «invaliditate», pro «contrahere» dicitur «celebrare». Omittitur praeterea particula «ideo», quae quidem non superflua hic dicenda est. Ex hoc exemplo patet tendentia generalis ad vitanda verba quae sensum technicum et, ut ita dicamus, iuridicum habent. Ideo in CC numquam dicitur «contrahere», «inire» matrimonium vel quid simile, quae potius inuunt aspectum iuridicum momenti constitutionis matrimonii, sed semper adhibetur verbum «celebrare» quae potius connotat aspectum spirituales vel sacramentales illius momenti.

Uti patet, huiusmodi varietates sunt exiguae significationis nec sufficiunt ad discriminandum unum Codicem ab alio. Si attendimus ad ea quae sub respectu substantivo diversa sunt, pauca omnino invenimus:

1) *In canonibus introductoriis*, nec omissiones, v. gr. can. L1061 (can. L1057 habetur, saltem quoad partem, in O817), nec additiones, v. gr. quae in O776 § 2 inveniuntur, mutant doctrinam de matrimonio. Habentur autem sub respectu iuridico canones O780 § 2 et O781 de iure quo regitur matrimonium acatholicorum baptizatorum, qui quidem desunt in CIC.

2) *In systemate impedimentorum*, praeter parvas differentias quoad facultates statuendi et dispensandi impedimenta, quae pendent ab instituto Patriarcha-

tus, habemus tantum duo impedimenta quae habent ambitum ampliorem in CC quam in CIC, scilicet imp. disparitatis cultus et imp. affinitatis, atque unum impedimentum in CC quod non habetur in CIC scilicet imp. cognationis spiritualis ex baptismo ortum. Ideo possumus dicere differentias esse reapse paucas inter utrumque Codicem.

3) *Quoad consensum*, una tantum habetur differentia, scilicet quoad matrimonium condicionatum, quod in CC valide celebrari non potest, dum in CIC admittitur matrimonium sub condicione de praesenti vel de praeterito.

4) *Quod spectat formam canonicam*, notamus tantum has differentias: in CC ritus sacer est elementum essenziale formae, non vero in CIC; in CC diaconus non potest delegari ad benedicendum matrimonium; in CIC diaconus potest delegari ad assistendum matrimonio, immo, positis ponendis, etiam et laicus. In CC parochus ad celebrandum matrimonium est parochus sponsi; in CIC parochus sive sponsi sive sponsae. In CIC defectio ab Ecclesia catholica liberat ab obligatione formae canonicae; in CC autem non liberat. Denique in CIC matrimonium per procuratorem regitur normis iuris communis (L1105), in CC autem normis iuris particularis (O837 § 2).

Patet in hac synthesi aliqua minoris momenti quae in textu exposuimus non colligi. At ex his gravioribus differentiis eruitur has non esse adeo graves ut, scientifice loquendo, sermo fieri possit de duobus ordinamentis matrimonialibus materialiter diversis inter se, cum differentiae inter utrumque Codicem quoad ius substantivum quod statuitur, non sint magnae significationis.

Velim tamen aliquam attentionem praestare quaestioni maximae gravitatis, quae ex silentio CC

posset videri doctrinam diversam contineri in CIC ac in CIC, quaestionem inquam de consensu uti causa matrimonii. Consequenter, aliquid etiam dicam de ministro sacramenti matrimonii.

a) *Matrimoniale foedus, quo...*

In CIC continetur principium quod ad litteram ex Codice 1917 accipitur: «*Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri potest*» (L1057 § 1). Principium quidem accuratissime concinnatum, quod comprehendit densam syntheses doctrinae de necessitate et de efficacia consensus partium. Continet has theses fundamentales: Consensus facit, id est, causat efficienter, matrimonium; ut autem consensus sit efficax, id est, causet formaliter seu producat reapse matrimonium, requiritur ut partes sint iure habiles, seu immunes ab incapacitatibus et ab impedimentis, atque ut consensum legitime, id est, servatis sollemnitatibus ad validitatem praescriptis, manifestent. Principium continet in synthesi sectiones quibus fundamentaliter structuratur tractatus de matrimonio in utroque Codice: α) de impedimentis; β) de consensu; γ) de forma canonica.

In CC hoc principium non enuntiatur. Omissio autem videtur esse intenta et quidem ac si illud principium non reflecteret bene doctrinam orientalium de matrimonio. Quod adhuc magis roboratur si prae oculis habetur insistentia qua hinc inde repetitur orientales non concipere matrimonium uti «contractum», sed ut quid sacrum. Hinc termini «contractus», «contrahere», «inire» etc. diligenter in CC vitantur. Immo in laudem reputatur quod CC minus sapit «iuridismum» quam CIC. Et haec nota ponitur praesertim his in expressionibus quia ceterum tota structu-

ra articuli VII *De matrimonio* tali modo constructa est ut essentialiter reflectat realitatem iuridicam, quae est matrimonium, etsi hoc inter baptizatos sit eo ipso sacramentum.

Imprimis oportet sublineare Christum assumptisse (elevasse, evehisse) in sacramentum ipsum matrimonium naturale. Iam vero matrimonium, etsi sit realitas humana ditissima, initur *consensu* partium. Natura huius actus pertinet ad provinciam iuris, quia relationes intersubiectivas modificat, sive inter coniuges sive in sinu societatis, creando nova iura et officia quae non sunt tantum ordinis ethici, sed indolem habent iuridicam. Ipsa S. Scriptura non dubitat illam realitatem terminis iuridicis exprimere, ut acute notat S. AUGUSTINUS:

«Cui fidei, tantum iuris tribuit Apostolus ut eam potestatem appellaret, dicens: "Mulier non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter autem, vir non habet potestatem corporis sui sed mulier (1 Cor 7,9)»⁶.

Ideo si matrimonium naturale est essentialiter quid iuridicum, etsi iuridicitas non exauriat totam eius ditissimam realitatem humanam, et, ex alia parte, matrimonium inter baptizatos est eo ipso sacramentum, sequitur veram scientiam de matrimonio-sacramento construi non posse nisi realitas iuridica, quae est matrimonium, plene introspectiatur eiusque connexiones cum sacramento profunde et equilibrate stabiliantur.

⁶ S. AUGUSTINUS, De bono coniugali, c. 4: *Corpus Scripturarum Ecclesiae Latinae* 41 (1900), p. 191.

CC incipit articulum de Matrimonio his verbis: «Matrimoniale foedus, quo... *vir et mulier* irrevocabili consensu personali totius *vitae consortium inter se* constituunt...». Ideo implicite sed clare affirmat coniuges ipsos constituere illud typicum consortium totius vitae, in quo consistit matrimonium. Hoc enim faciunt per «matrimoniale foedus»; quod quidem adhuc magis specificatur ablativo «*irrevocabili consensu personali*». Hic irrevocabilis consensus personalis nihil est aliud quam id quod vocatur «consensus matrimonialis», quem ipse CC describit his verbis: «*Consensus matrimonialis est actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili se mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium*» (O817 § 1). De hoc actu voluntatis seu de consensu matrimoniali ulterius dicitur: «*Consensus matrimonialis nulla humana potestate suppleri potest*» (§ 2).

Iam vero huiusmodi locutiones, quae sunt eadem quae inveniuntur etiam in CIC, non videntur posse aliter recte intelligi quam tribuendo consensui partium veram vim causativam matrimonii. Locutio in iure romano insculpta: «*consensus facit nuptias*» videtur exprimere id quod illis diversis locutionibus CC dicere intendit. De principio hac locutione expresso, dixit PAULUS VI in allocutione ad Praelatos Rotae Romanae, 9.2.1976:

«*Quod tamen magnopere Nostra interest hoc loco rursus in sua luce ponere hoc est: ...quae perducatur ad reliquendam vel minuendam vim ac significationem pernoti illius principii: matrimonium facit partium consensus. Quod quidem principium summum momentum habet in universa doctrina canonica ac theologica a traditione recepta, idemque saepe propositum est ab Ecclesiae Magisterio ut unum ex praecipuis capitibus, in quibus ius naturale de matrimoniali instituto nec non praeceptum evangelicum*

innituntur (cfr. Mt. 19, 5-6; Denzinger-Schönmetzer, nn. 643, 756, 1497, 1813, 3713, 3701)»⁷.

Iuxta hoc principium, prout a traditione canonica et theologica receptum est, partium consensus non est merum praesuppositum ut alius (Deus, Parentes vel tutores, Ecclesia, Status) creet matrimonium; sed ipse consensus est *causa efficiens* matrimonii in concreto seu illius relationis iuridicae qua vir et mulier constituuntur maritus et uxor. Causa efficiens intelligitur «principium cuius operatione aliquid transit de non esse ad esse». Hoc sensu, consensus partium est principium vi cuius matrimonium determinatum seu inter hunc virum et hanc mulierem transit de non esse ad esse. Utique «*Ipse vero Deus est auctor matrimonii, variis bonis ac finibus praediti*» (GS, n. 48). At hoc individuum matrimonium determinatum «foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali», seu actu humano quo coniuges sese mutuo tradunt et accipiunt» instauratur seu oritur (*Ib.*), id est transit de non esse ad esse.

Causalitas autem consensus matrimonialis est causalitas propria consensus in actibus indolis pactitiae, quod satis clare affirmatur termino «*matrimoniale foedus*» (O776 § 1), vel etiam explanatione can. O817 § 1: «*Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo vir et mulier foedere irrevocabili se mutuo tradunt et accipiunt...*» Huiusmodi locutiones habent sensum tantummodo si ille consensus concipitur ut actus voluntatis indolis pactitiae; actus scilicet qui creat vinculum iuridicum, quod manet uti vinculum iuridicum quaecumque fuerint mutationes voluntatis

⁷ AAS 68 (1976) 206.

subsequentes. PAULUS VI in allocutione supra memorata dicit:

«Vi huius principii (matrimonium facit partium consensus), omnibus probe cogniti, matrimonium existit eo ipso temporis momento, quo coniuges matrimonialem consensum praestant iuridice validum. Talis consensus est actus voluntatis indolis pacticiae (vel foedus coniugii, ut dictione utamur, quae hodie potior habetur quam vox contractus), qui quidem puncto temporis indivisibili gignit iuridicum effectum, seu matrimonium in facto esse, uti aiunt, vel vitalem statum, neque postea ullam vim habet ad "realitatem iuridicam" quam creavit. Quo fit ut, cum semel effectum iuridicum creaverit seu vinculum matrimoniale, huiusmodi consensus irrevocabilis evadat ac virtute careat id, quod peperit, destruendi»⁸

CIC voluit conservare, in signum reverentiae erga traditionem latinam et erga Magisterium, terminum «contractus» (L1055 § 2), inter alios, ad designandum actum quo constituitur matrimonium in concreto. Iure meritoque autem CC, cum in traditione orientali hic terminus «contractus» non soleat adhiberi, illum non adhibet. Posita autem doctrina de consensu causa matrimonii, et quidem de consensu indolis pacticiae, quaestio est prorsus secundaria, immo potest esse mere terminologica.

Ceterum, si actus voluntatis quo constituitur matrimonium non haberet indolem pacticiam, difficilius posset explicari tota structura capituli VII *De matrimonio*, cum articulis de impedimentis dirimentibus seu de legibus quae determinant habilitatem personarum, de consensu ubi determinantur vitia quae inexistenter vel saltem inefficacem reddunt consensum, de forma canonica ubi leges statuuntur, quibus non

⁸ *Ibid.*

observatis inefficax est manifestatio consensus ceterum ad constituendum matrimonium sufficientis. Item nisi praesupponatur natura pacticia consensus vix possibile videtur institutum convalidationis matrimonii sine renovatione consensus. Quae omnia admittuntur in CC eodem modo ac in CIC.

Ideo concludendum est principium «matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus» vigere eodem modo in CC ac in CIC, etiamsi in CC non inveniatur explicite propositum. Agitur enim de principio doctrinali, quod totum Codicem et latinum et orientalem transcendit, utpote «*unum ex praecipuis capitibus, in quibus ius naturale de matrimoniali instituto nec non praeceptum evangelicum innituntur*»⁹.

b) *Minister sacramenti matrimonii*

Novus CC occasionem praebet ad profundiores reflexiones instituendas circa ministrum sacramenti matrimonii in theologia orientali. Saepe enim repetitur hac in re magnum intercedere discrimen theologiam latinam inter et orientalem. Dicitur iuxta theologiam latinam ministros huius sacramenti esse sponsores ipsos, dum iuxta theologiam orientalem ministrum esse sacerdotem qui matrimonium benedicit. Non est hic locus de re adeo gravi sermonem soluto calamo instituere. Attamen aliquas observationes subiungere velim quae attentionem excitent circa aliqua consectoria, haud obliuiscenda, quae ex CC videntur derivari.

Uti patet, agimus de ministro sacramenti sensu stricto, id est, de illa persona humana, quae, nomine Christi, perficit signum sensibile significans et effi-

⁹ *Ibid.*

ciens gratiam, in quo consistit sacramentum. Ad vitandas confusiones et quaestiones de verbo, oportet distinguere tres conceptus affines, sed essentialiter diversos: α) *Ritus sacri accessori*, in libris liturgicis praescripti, qui in adiunctis ordinariis servandi sunt ad licitam celebrationem matrimonii. β) *Forma canonica*, id est sollemnitates servandae ad validitatem in ipsa celebratione matrimonii, inter quas potest praescribi aliquis ritus sacer, v. gr. benedictio sacerdotis legitime deputati. γ) *Signum sacramenti matrimonii*, seu illud signum sensibile, quod ex institutione Christi requiritur et sufficit ad validam celebrationem huius sacramenti.

In CIC nullus ritus sacer est praescriptus ad validitatem celebrationis sacramenti matrimonii. Ideo omnes ritus sacri ab Ecclesia praescripti, sunt *accessorii*. Certo, quando matrimonium celebratur forma ordinaria, sacerdos vel diaconus qui legitime *assistit matrimonio* (L1108), peragit etiam hos ritus liturgicos (L1119). Attamen esset valida celebratio matrimonii in qua unus sacerdos vel diaconus esset «assistens matrimonio» ad normam can. L1108 et alius sacerdos vel diaconus perageret ritus vel caerimonias liturgicas.

In CC, e contra, forma canonica comprehendit uti elementum essenziale aliquem «ritum sacrum», qui ut minimum consistit in benedictione Hierarchae loci vel parrochi vel sacerdotis cui collata sit «*facultas matrimonium benedicendi*» (O828). At ex eo quod benedictio sacerdotis legitime deputati requiratur ut elementum essenziale formae canonicae, nihil erui potest quod significationem theologicam specialis ponderis habeat, quod attinet ministrum sacramenti matrimonii. Agitur enim de lege positiva Ecclesiae, maxime quidem congruenti cum mente orientalium, sed quae nihil aliud secum fert quam quod sacerdos

qui «assistit matrimonio» debeat esse simul «minister» benedictionis», quatenus tenetur peragere hunc «ritum sacrum», praescriptum uti elementum essenziale formae canonicae. Actio huius sacerdotis est valde extrinseca et accessoria in celebratione sacramenti ut illi actioni tribui possit efficacia propria «ministri sacramenti». In omnibus enim sacramentis «minister» est qui perficit signum sensibile significans et producens gratiam.

Ex alia parte si sacerdos benedicens matrimonium esset minister sacramenti matrimonii sensu stricto, non posset umquam perfici sacramentum matrimonii sine «sacerdote benedicente». Iam vero non solum in Ecclesia latina, verum etiam in Ecclesia orientali, admittitur possibilitas celebrandi matrimonium coram solis testibus (O832). Praeterea praevidetur possibilitas dispensandi a forma canonica (O835). Admittitur quoque institutum convalidationis tum simplicis absque renovatione consensus utriusque partis (O845-846) tum per sanationem in radice (O848-852).

Praeterea CC, eodem modo ac CIC, admittit principium fundamentale iuxta quod «*ex Christi institutione matrimonium validum inter baptizatos eo ipso est sacramentum*» (O776 § 2). Igitur dubitari non potest matrimonia inter duos baptizatos, celebrata coram solis testibus (O832), vel, post concessam dispensationem, absque ulla forma canonica (O835), vel convalidata absque renovatione consensus utriusque coniugis, esse vera sacramenta, cum sint matrimonia valida inter duos baptizatos.

Itaque posito principio inseparabilitatis inter matrimoniorum validum et sacramentum in matrimonio baptizatorum, et attentis casibus matrimoniorum quae valide celebrantur iuxta disciplinam utriusque

Codicis absque interventu ministri sacri, concludendum est ministrum sacramenti matrimonii non esse vel saltem non semper esse sacerdotem benedicentem, quia habentur casus in quibus sacramentum perficitur absque interventu sacerdotis.

Ideo videtur doctrinam, iuxta quam sacerdos benedicens matrimonium est «minister» sacramenti matrimonii, exigere ulteriorem et profundio-rem reflexionem.

URBANO NAVARRETE, S.J.